EPISTOLA

AD

VIRUM CLARISSIMUM

RICHARDUM LEPSIUM

SCRIPSIT

OTTO JAHN.



ROMÆ 1838.

ESTRATTO DAL BULLETTINO DELL'INSTITUTO DI CORRISPONDENZA
ARCHEOLOGICA 1838, PAGG. 145-154.

Miraberis fortasse, vir doctissime, quid sit quod ego ad te scribam, qui ne nomine quidam notus tibi esse videor; neque enim puto, te meam conservasse memoriam ex eo inde tempore, quo cum Gottinga in patriam domum reversus, Portam quoque tuam reviseres, diem unum apud Langeium una eramus, cuius ego tunc in familiam nomine extraneus revera filius receptus eram, cuius diei multa quæ de litteris nostris egregie scripsisti fecerunt sane, ut gratam servem memoriam. Itaque haud parvo gaudio tui patrisque tui, quem saepius Portæ videre contigit, recordatus sum eo die, quo Parisiis in consessu academiæ regiæ, tuum nomen renunciari audivi, quippe qui præmium ab ea propositum reportaveris. Verum audi, qui factum sit, ut vixdum Romam ingressus non modo inquilinus tibi atque contubernalis factus sim, sed etiam studiis tuis statim pæne immiscear. Nam cum Pelasgorum illud nomen, quod omnes fere, qui antiquitatis curam habent, turbare solet, me quoque diu iam haud mediocriter vexasset, quam avide dissertationem, quam in Analibus Instituti t. VIII, p. 186 seqq. de inscriptionibus quibusdam in Etruria repertis scripsisti, quibus elementa pelasgica contineri putavisti, perlegerim, non est quod dicam. Itaque singulari casu evenit, ut paucos post dies certior factus sim, jam ante multa sæcula extitisse, qui eandem rem quæsierit, quam tu, et revera reperisse sibi videatur.

Etenim cum consilium cepissem, Censorinum scriptorem indigne neglectum, denuo critice tractare, et nuper si quod ex bibliotheca vaticana ei auxilium afferri posset, indagarem, allati sunt duo codices, quos humanitas egregiorum virorum, quorum curæ thesauri illi demandati sunt, conferendos mihi benigne concessit. Quorum alter statim vetustate, seculo enim decimo scriptus esse videtur, et pulchra atque æquali, qua librarius usus est, scribendi ratione animum animadvertit; et cum accuratius inspexissem, cognovi ipsum eum esse codicem, ex quo Angelus Maius memorabilem illam Valerii Maximi epitomen a Iulio Paride confectam ediderat, qui de eo egit in praefatione Novæ Collectionis t. III, p. XXI seqq. Antequam vero ad excerpendas varias lectiones Censorini me confero, diligenti curiositate totum volumen, sicuti meus est mos, perlustro, ut quid contineat, accuratius teneam. Erat autem folium quoddam Censorino præfixum, a diversa quadam manu scriptum, eaque, ut videtur, aliquantum recentiore, quod cum fugitivo oculo pererro, video litteras quasdam græcas, et mox de alphabeto pelasgico agi non sine admiratione animadverto. Res sane curiosa visa est, et accuratiore cura digna, quare fragmentum illud descripsi, et totum, ut de hac re tuo iudicio uti possis, hic tecum communico.

« . . . animi probitate ac corporis venustate decusatæ (1) a Na-
« rino philosopho. A scholasticorum viliss. (2) bene valere et esse feli-
« cem. In indagine *argivorum elementorum* (3) non segnis exquisitor
« extiti, in inventione tamen eorum diu oppido laboravi. Cumque per
« plures dies iam pene omni scrutato archivo me nimium huius inqui-
« sitionis tæderet casso labori finem imponere cogitavi. Verumtamen
« illius poeticæ exortationis remini scens, labor improbus v. o (4),

(1) Sic cod. ab alia manu supra scr. *decoratæ*.

(2) Similiter Michael Andreopulus, qui Syntipae fabulas Graecę vertit, in prologo apud Matthaeium p. IX.

μετήγαγόν τε καὶ γέγραφα τὴν βίβλον
τῶν γραμματικῶν ἔσχατός γε τυγχάνων.

(3) Cf. Aus. Id. XII, de litt. v. 2:

Et suprema notis adscribitur *Argolicio* Ω

et v. 24

In Latio numerus denarius, *Argolicum* X.

(4) Virg. Georg. I, 145 seq. « labor omnia vincit improbus ».

« simul et vestro devotus amore requiei non cessi, quoadusque in ex-
« tremitate cuiusdam libelli, quem pro sui deformitate manibus con-
« tingere dedignabar, repperi, quod est infra insertum. Nonnulla etiam
« his addere libuit, quæ commoda si ea non habetis fore perorabi-
« tis (1). Ordo igitur *alfabeti pelasgi* talia est.

alfa *beta* *gamma* *delta* *e brevis* *e longa* *fi* *digamma* *non habent potesque* (?)
ϡ Β Γ Δ Є Η Φ F ƕ

iota *kappa* *lamda* *mi* *mi* *ni* *o brevis* *o longa* *pi* *ro* *sima*
Ι Κ Λ Ӿ *item* Μ Ν Ο Ꞷ Π Ρ C

tau *teta* *sin* *xi* *seta* *psi*
Τ *item* Θ Υ Χ Ζ Ψ

« Numerum etiam, quem nullo (2) in libro hactenus (3) repperi
« inferri collibuit. I, mia. II, dia. III, tris. IIII, tessaris. V, penta.
« VI, ex. VII, epta. VIII, octo. VIIII, ennea. X, deca. XI, endeca.
« XII, dodeca. XIII, decatris. XIV, decatesseris. XV, decapenta.
« XVI, deca ex. XVII, deca epta. XVIII, deca octo. XVIIII, deca
« ennea. XX, icosi, icosimia etc. XXX, trianta. XL, seranta (4).
« L, pentinta. XL, exinta. LXX, eptaminta. LXXX, ocdointa. XC, en-
« nosinta. C, ecaton. CC, diacos. CCC, triacos. CCCC, tetracos. D, pen-
« tacos. DC, exacos. DCC, eptacos. DCCC, octacos. DCCCC, ennacos.
« I, Chile. II, dischile. III, trischile. IIII, tetraschile. $\overline{V}$, penta-
« schile. VI, exaschile. VII, eptaschile. VIII, octaschile. VIIII, en-
« naschile. X, decaschile etc. Quod canit psalmographus (5): *renova-
« bitur ut aquila iuventus tua*, Cassiodorus ita dicit (6), quod huic
« avi iam aetate provectæ suppremum (7) labium cornea inflexione
« nascitum (8) tantum fert (9) increscere, ut ei non sit liberum æscas

(1) Nescio, quid hoc significet.
(2) Cod. *nollo.*
(3) Cod. *acten.*
(4) Haud dubie voluit *tesseranta.*
(5) Psalm. CII, 5.
(6) Cassiod. expos. Ps. CII, 5, p. 345, unde emendandum nostrum fragmentum, quod ex illo ad verbum exscriptum est.
(7) *Supernum* Cass.
(8) *Nasutum* Cass.
(9) *Fertur* Cass.

« solita libertate decerpere; quæ intellegens unde ei (1) periculum vitæ « possit accidere, os suum in saxo dicitur expolire usque (2) omnia « sibi eius impedimenta submoveat. Quo facto in antiquam valitudinem « corporis sui escarum solita receptione (3) revocatur. Sic anima in « pristinam sanitatem revertitur, si peccata sua in petra, quae est « Christus, expolire non desinat. Revertit igitur (4) ad cibos saluta- « res, quando delicta, quæ sunt impedimenta eternæ vitæ domino præ- « stanta respuerit (5). Quid *arator* de hac re sentit, notum animo « manet (6). Idem etiam de *alleluia* dicit, quod est generis neutri « Ieronimo testante. Nullius autem linguæ sumptione mutatum esse « confirmat (7). *Allelua* vero dicitur *laudate Deum. Alle* (sic) *lau-* « *date. Ia* quippe *invisibilem* significat deum. Quod unum ex decem « nominibus esse dei in epistola ad Marcellam Ieronimo traditur ex- « ponente (8), qui dicit. Primum nomen dei est *hal* id est *fortis*; « deinde *heloin* et *heloe*, quod utrumque dicitur *deus*, unde gemina- « tum frequenter invenitur, ut est: *deus, deus meus, quare me d.* (9) « et: *deus deus meus ad te* (10) et similia (11). Quartum *sabahot*, quod

(1) *Sibi* Cass.

(2) *Usque quo omn.* Cass.

(3) *Perceptione* Cass.

(4) *Revertitur enim* Cass.

(5) Hucusque Cassiodorus.

(6) Arator, Hist. apost. II, p. 606 B. ed. G. Fabricii (Poett. vett. eccl.)
renovaberis inquit,
More aquilæ, qua lege datur sentire, probatus
Laude placere typi quod firmant cantica iusti.

(7) Verba Cassiodori expos. in Ps. CII, p. 359 hæc sunt: « Scire autem debemus, Allelnia neutri generis esse definitum, quod et sanctus Hieronymus in expositione eiusdem psalmi evidenter designat, quod eum in hebraicis fontibus credimus invenisse. Et ideo ubicumque se locus attulerit a doctissimo viro præfixam regulam subsequemur, quoniam unum atque integrum manere debet, quod nullius linguæ præsumptione mutatum est. Alleluia enim apud ipsos dicitur, laudate Deum id est allelu laudate », et reliqua, quæ noster descripsit. Cf. Hieron. ep. ad Marc. 26, 31, I, p. 130, ed. Veron.

(8) Hieron. ep. ad Marc. 25, p. 129. Eadem fere sunt in tractatu de Deo et nominibus eius I, 3, p. 730 seq.

(9) Ps. XXI, 2. (10) Ps. LXXII, 2.

(11) Hæc verba *unde - similia* non habet Hieron. at habet Cassiod.

« est *exercitum* (tuum); quintum *elon* (elion), quod nos *excelsum* di-
« cimus; sextum *esser heie*, quod in exodo legitur (1): QUI EST *misit*
« *me ad nos*; septimum *adonai*, quod nos generaliter *dominum* ap-
« pellamus. Octavum *ia* quod deo tantum applicatur et in *alleluia*
« extrema syllaba sonat; nonum tetragrammum, quod *ineffabile* nun-
« cupatur; decimum *addai* (saddai), id est robustum et sufficientem
« ad omnia perpetranda ».

Hic desinit fragmentum, cuius in fine numquid desideretur sciri nequit, initio pauca tantum deesse videntur; descripsi vero totum, ut de ingenio atque doctrina auctoris, de ratione, qua e fontibus rivulos suos deduxerit, melius iudicari possis. Habes igitur epistolam de rebus quibusdam philologicis, a quo vero et ad quem scripta sit, nescimus, sicuti nec quo tempore vixerit auctor potest demonstrari. Quid? quod ne id quidem certum esse videtur, esse scriptam ad virum neque ad feminam. Nam in corrupto illo *decusadæ* primo aspectu latere videtur dativus feminini generis, ita ut ad nomen feminæ referendum sit: accedit, quod corporis venustas in muliere potius quam in viro laudatur. At, inquis, tunc temporis feminam de talibus rebus quæsiisse, quis credat? Audio, neque ipse confido huic sententiæ, verum potuit tamen fieri, ut femina quædam tunc quoque litteris pelasgicis faveret, ut nunc mulieres quam maxime ægyptiacis et hieroglyphicis studere audio. Sed age videamus, num de tempore nostri fragmenti coniectura aliquid assequi possimus. Etenim cum Cassiodorum et Aratorem solum auctores laudet, et inprimis cum Aratoris poetæ haud quaquam notissimi (2) mentionem faciat satis, ut videtur, honorificam, et eius versum appellet, qui leviter tantum ad rem, de qua agitur, respicit, a vero non prorsus abhorrere tibi videatur, eum, qui hanc epistolam scripsit, ab aetate horum virorum non adeo fuisse remotum, præsertim cum satis notum sit, quantopere monachos ad studium scriptorum antiquorum, ad codices describendos hortatus sit Cassiodorus, idque ut recte accurateque facerent, quantam operam idem posuerit. Arator autem mortuus est anno 556, Cassiodorus haud multo post annum 562. Quis sit ille Na-

(1) Exod. 3, 14.

(2) Vid. de eo Jac. Sirmondus ad Ennodii epp. p. 44; qui cum ab Ennodio commemorari putat, qui mortuus est anno 521, et alterum eius carmen edidit p. 99 seqq.

rinus philosophus, qui in initio commemoratur, nescire me fateor; possit tamen aliquis ad eam coniecturam deferri, ut Narinum per errorem positum putet pro Marino Platonico, celeberrimo illo Proculi discipulo, at cum is anno 484 in magistri sui locum successerit, fieri posse existimet, ut ad aliquem ab eo edoctum, aut ex eius disciplina profectum hæc epistola scripta sit. Verum enim verum hæc coniectura sicut admodum lubrica, ita nec verisimilis est; quis enim putet, talis viri discipulum ab homine ut apparet græce minime docto de græcis litteris consilium petiisse? Fortasse iusto pluria de hac re verba me facere existimas, verum non possum tamen te dimittere, priusquam sententiam tibi proposuerim, quam amice mecum communicavit Abeken V. Rev. Putat enim Narinum esse scriptorem epistolae, qui se ipsum vocaverit philosophum et scholasticum, quod si accipiendum sit, legerem: *a Narino philosophorum scholasticorum vilissimo* etc. Sed de his omnibus, quid statuendum sit tu ipse videas; id apparet, scriptam esse epistolam a monacho quodam (*scholasticus* enim eum omnino significat, qui litteris studet v. Forcell. lex.), qui cum græcis litteris operam daret, quod non ita frequens fuit, ab alio quodam rogatus, de his rebus explicationem ad eum perscripsit. Hic enim mos obtinebat; ita, ut pauca exempla afferam, Fulgentius expositionem sermonis antiqui Serii cuiusdam admonitione adductus scripsit, et Lupus, qui Carolo Calvo regnante abbas fuit apud Ferrariam monasterium Senonum, in epistolis, quae semel tantum, quod sciam, a Pap. Massono Paris. 1588 editae sunt, sicut Einhardum de rebus philologicis consulit v. ep. I, fol. 2 *b*; V, fol. 13 *b*, ita aliis quoque de iisdem perscripsit, cf. ep. VIII; XV, f. 22 *b*, XX; XXXIV; idemque Graeca se nescire ingenue fatetur, cf. ep. V, f. 14 *a*; XX, f. 40 *b*. In codice quoque Parisiensi n. 6070 diatriben a monacho quodam de voce *ceroma* simili de causa scriptam inveni, et alia quædam de tali græcarum litterarum studio ex ineditis ad Iuvenalem scholiis suo loco proferam. Iam vero quomodo officio suo functus sit non difficile est videre; sicut ex Cassiodoro, ita ex altero quoque scripto fideliter transcripsisse putandus erit. Non est igitur quod metuas, fore qui cum docto Tuo acumine monachi huius curiosam sedulitatem conferat, quippe qui nihil aliud fecit, nisi ut alphabetum a grammatico quodam (talis enim fuit aperte libellus iste, quem ob deformitatem ne tangere quidem dignatus

erat) secundum nescio quas traditiones et ratiocinationes tanquam pelasgicum compositum transcriberet. Id vero quam non sit pelasgicum non est quod pluribus tibi demonstrem. Ita vero rem mihi informo; grammaticus quidam constanti illa traditione ductus, easdem fuisse veteris Latii atque Græciæ litteras (1), ad normam alphabeti latini litteras græcas ordinavit, quod si tenes tota fere ratio aperta est. Inde litteram φ loco litteræ *f* posuit, et adiunxit ei digamma, ob formam ut puto, neque enim verisimile videtur, eum qui gamma suo loco posuit, nomine digamma in errorem esse deductum, ut loco litteræ *g* haberet. De digamma vero multi sunt grammatici, quamquam plerumqne non cum littera *f* sed *vau* contendunt (2), quæ res inde potissimum derivanda videtur, quod Claudius imperator hanc quoque litteram romanis elementis addere voluit (3). Eadem ratione ε et η, ο et ω, τ et θ copulavit, quia semel tantum hæ litteræ apud Romanos occurrunt; et litteram ψ in fine collocavit, quod ea a Romanis non est accepta, v. Vel. Long. p. 2216, P. Præterea pauca sunt, quæ notatu digna videri possint, scriptura enim talis est, quali in codicibus antiquissimis latinis græca fere scripta esse solent, e. g. ut unum afferam exemplum, quod hæc scribenti forte ad manum est, in Lactantii cod. bononiensi, cuius specimen ex Montefalconio in editione sua recudi curavit Luenemannus. Singularis tamen est ea forma litteræ *mi*, quam priori loco posuit, quam ego certe unquam me videre non memini, et de qua quid statuendum sit, tuum iudicium exspecto (4). Maiore vero attentione digna esse videtur littera, quæ litteram *theta* seqnitur; ea cum primo adspectu *ypsilon* esse videatur, quamvis non suo loco positum, tamen quod suprascriptum est *sin* aliter nos sentire cogit. Etenim Hebræorum *schin* vel *sin* respondet Græcorum *san* vel *sampi* (5), nostra vero littera perquam similis est litteræ *dsade* eæ formæ, qua in fine verbi

(1) Dion. H. IV, 26, et quæ reliqua tu attulisti de Tabb. Eug. p. 23 seqq. add. Prisc. I, p. 542 P. Mar. Viet. p. 2453 alia.

(2) V. C. Schneid. Gramm. lat. I, 1, p. 209.

(3) V. Schneid. l. l. p. 4 seqq. 359.

(4) Postea tamen vidi, in Censorino librarium hac forma litterae μ usum esse in vocabulis graecis, quam in nullo alio codice a se repertam esse affirmavit mihi vir harum rerum peritissimus Th. Heyse.

(5) Cf. Boeckh, Staatsh. II, p. 386 seq.

utuntur; iam vero notum tibi est, etiam apud Hebræos has litteras adfines sibi esse atque inter se posse commutari, ita ut antiquæ alicuius de hac littera traditionis vestigia hic superesse videantur. Quamquam ita quoque rem explicari posse credo, et fortasse hæc sententia magis tibi arridebit, esse hanc litteram revera *ypsilon*, et pertinuisse inscriptionem *sin* in archetypo ad aliam litteram, transcribendi negligentia prave collocatam.

Nimis diu fortasse iam his frivolis te detinui, itaque concedas, quæso, ut antequam finem huic epistolæ imponam, pauca de dissertatione tua adiiciam. Qua quantopere delectatus sim et quantopere in universum assensum meum tulerit, non est quod tibi dicam, qui mea profecto laude non indigeas, in his studiis præsertim non ita versati, ut iudicium mibi arrogare possim. Verum non possum tibi negare, perfecta illa tua dissertatione optasse me, ut nebuloso illo Pelasgorum nomine abstinueris; quamvis enim ingenii acumen, quo res indagasti et composuisti, libenter agnoscam, tamen mibi certe res ita comparata esse videtur, ut coniecturis talibus melius abstineas, ubi tam pauca sunt monumenta, quibus tuto insistas, et antiquum illud *dies diem docet* ita verum est, ut crastinum diem demonstraturum esse, te pro Iunone nubeculam amplexum esse, semper tamen metuere debeas.

At, inquis, fieri potest, ut confirmetur coniectura, et, etiamsi refutetur, coniecturam a me propositam, modo non sit per se improbabilis, refutari iis rebus, quæ scire non potui, non est pudori. Rectissime tu quidem, nec ego aliud quid volui, nisi in iis coniecturis modum esse adhibendum, quæ ea tangunt, quae sciri nequeunt. In singulis quibusdam amice posse dissentiri nec ipse negabis, e. g. quod posuisti, signum illud Ϙ esse *koppa*, quominus tibi statim concedam, facit quod eadem littera occurit in inscriptione apud Boeckh c. I, n. 9, ubi aliud quid significat. Verum hæc atque talia viva ut aiunt voce melius disseremus, cum diu expectatum tandem te recipient amici romani. Duo autem sunt, quæ cur abhibere nolueris, cum non intelligam, hic addere liceat. Primo, cum de modo illo agatur, quo infantes in scholis consonantes singulis vocalibus iunctas canere solent, cur non attulisti Critiæ illius tragœdiam grammaticam, de qua locus Athenæi X, 79, p. 453 sicut egregia, quam Welckerus in Museo suo Rhenano I, p. 137 seqq., post tot VV. DD. disceptationes, de hac re

scripsit dissertatio tibi sane notus est? Alterum, de quo pauca verba addere libet, ratio est, qua factum sit, ut hæ formulæ tam vasculo quam parieti tumuli inscriptæ fuerint, de qua ideo fortasse non monuisti, quia nimis aperta res tibi esse videbatur. Nam esse hunc puerilem quendam lusum, qui quæ modo didicerunt, statim ubique solent appingere, nemo facile sibi persuadeat, nec mihi quidem dubium esse videtur, magicæ formulæ loco hæc fuisse inscripta, ut similia quædam alia reperiuntur. Etenim si tales formulas, quibus ad avertenda cuiuscumque generis mala semper usa est superstitio, consideramus, duo invenimus diligenter observata, primum ut ne intelligi possint, deinde ut sonum quendam rythmumque præberent recitantibus, v. exempla, quæ congessit e medicis Keuchenius prolegg. ad Ser. Samm. p. 541 seqq. t. II Poett. L. M. Burm. e quibus unum, quo de Marcello Empirico affert adversus narium fluxus, ita conceptum

ψα ψε ψη ψε ψη ψα ψε

apprime huc quadrat (1). Eodem modo factæ sunt formulæ illæ, quæ e solis vocalibus compositæ sunt, quales in gemmis reperiuntur, vide ut hoc solo utar Tölken, Beschr. p. 442, earumque in re magica usum testatur Amm. Marc. XXIX, 2; et recte inscriptionem in lamina illa Burdigalensi apud Vinetum ad Auson. ep. XV·

ΑΕΗΙΟΥΩ
ΩΥΟΙΗΕΑ
ΕΗΙΟΥΩΑ
ΥΟΙΗΕΑΩ
ΗΙΟΥΩΑΕ
ΟΙΗΕΑΩΥ
ΙΟΥΩΑΕΗ

Claverius Misc. ad Claud. c. 19, p. 176 amuletum fuisse censuit, atque famosum *abracadabra* apud Seren. Samm. v. 944 seqq. eiusdem est originis atque rationis. Cf. H. Valesii emendd. I, 2 ubi plura apposuit Burmannus. Eiusdem quoque generis fuisse putem celebrata illa Ἐφέσια γράμματα (2), quæ non modo recitarunt (3), sed etiam corpori

(1) Tales formulas στοιχεῖα appellatas esse auctor est Jos. Scaliger opp. p. 575. (2) V. Creuz., Symb. t. II, p. 159 seq.

(3) Pent. Symp. VII, 5, p. 706 D: ὥσπερ γὰρ οἱ μάγοι τὺς δαιμονιζομένυς κελεύυσι τὰ Ἐφέσια γράμματα πρὸς αὑτὺς καταλέγειν καὶ ὀνομάζειν.

adligarunt, ut docent loci grammaticorum Suidæ, Photii etc., qui narrant pugilem quendam Milesium non potuisse vinci, donec his litteris Ephesiis, quas sibi alligaverat, spoliatus fuerit, et Anaxilæ apud Athenæum (1).

Atque hæc habui, quæ tecum communicarem, ita ut nihil iam restet, nisi ut valere te iubeam; et quoniam non possum addere, quod solemne est, ut amare me pergas, id tamen a te petam, ut amare me incipias, de cuius dedito erga te animo velim ut persuasum tibi habeas. Romæ VI Nov. MDCCCXXXVIII.

(1) Athen. XII, 70, p. 548 D.

καὶ πρὸς τέτοις
ἐν σκυταρίοις ῥαπτοῖσι φορῶν
Ἐφέσηια γράμματα καλά.

De quo loco quæ nuper commentus est R. Roch. peint. ant. inéd. p. 257 seq. ea iure meritoque explosit Letronn. append. p. 22 seqq.